…ugustus

De
…ymnis
…yrorum
…acris

DE

HYMNIS SYRORUM SACRIS.

DISSERTATIO

QUA

PATRI DILECTISSIMO

ERN. FRID. ANT. AUGUSTI

PASTORI ICHTERSHUSANO ET DIOECESEOS ICHTERSHUSANAE, WACHSENBURGENSIS ET CELLA-NIGROVALLENSIS SUPERINTENDENTI

SACRA MUNERIS ECCLESIASTICI SEMISAECULARIA

PIA MENTE GRATULATUR

FILIUS

IO. CHRISTIANUS GUIL. AUGUSTI

THEOLOGUS VRATISLAVIENSIS.

VRATISLAVIAE, Breslau

APUD IO. FRIDER. KORN, SEN.

MDCCCXIV.

De hymnis Syrorum ſacris.

De Hymnologia eccleſiae Syriacae antiquiſſima nil certi conſtat. In uſu fuiſſe hymnos ſacros non ſolum ex communi eccleſiarum orientalium more et conſuetudine *) colligi, ſed etiam plurimis teſtimoniis hiſtoricis probari poteſt. Secundum Socrat. H. E. Lib. VI. c. 8. conſuetudo *hymnos antiphonos* canendi in eccleſia Antiochena ab *Ignatio* (qui per viſionem edoctus fuit ad Angelorum imitationem S. Trinitatem hymnis antiphonis laudare) originem duxit. Sed Theo-

*) Morem hymnos canendi ab Orientalibus ad Occidentales transiiſſe teſtatur Auguſtin. Conf. IX. c. 7. hisce verbis: „Tunc hymni et Pſalmi ut canerentur, ſecundum morem Orientalium partium, ne populus moeroris taedio contabesceret, inſtitutum eſt, et ex illo in hodiernum retentum.“ Conf. Baſil. M. Ep. 63.

doretus H. E. II. c. 24. (et ante eum Theodor. Mopſueſt. apud Nicetam) narrat: Flavianum et Diodorum, monachos ſub Conſtantino M. viventes, hujus moris extitiſſe auctores. Recte tamen monuit *H. Valeſius* ad Socrat.: „Syros diu ante Flavianum et Diodorum Pſalmos Davidis antiphonatim ceciniſſe, cum Flavianus et Diodorus ſolum Antiphonas ſuas ex Syrorum lingua in Graecam transtuliſſe atque graece Antiochiae cani feciſſe tradantur.“ Conf. Sozomen. H. E. III. c. 20. et Philoſtorg. III. c. 13.

Artemonis (Haereſiarchae, cujus patria atque aetas ignota) haereticas opiniones reſtauraſſe dicitur *Paulus Samoſatenus*, Antiochenus Epiſcopus: *ἀνεκαινισε την αἱρεσιν του Αρτεμωνος, του ποτε ὀντος ἐν ἀρχῃ προ ἐτων πολλων, και ἐσβεσμενου.* Epiphan. haereſ. LXV. §. 1. Cf. Euſeb. H. E. V. c. 28. et Epiſt. Simeonis Beth - Arſamenſis in *Aſſemanii* Bibl. Orient. T. I. p. 347.). Is vero hymnos, quos eccleſia Antiochena in honorem Jeſu Chriſti cantare ſolebat, abrogabat. Euſeb. H. E. VII. c. 30. Cf. *Mosheim.* de rebus chriſt. ante Conſtant. M. Helmſtad. 1753. p. 703: „Non dicunt Episcopi, a quibus arguitur, eum ideo hymnos iſtos rejeciſſe, quod errores continerent, ſed *quod novi eſſent et a recentioribus hominibus compoſiti.* Plura non addunt; ſed intelligo, quid hoc rei ſit. Paulus conſuetis Chriſtianorum carminibus repudiatis, tanquam recentioribus, veteres Davidis pſalmos

in eorum locum ſubſtituebat, aut hos ſolos cani volebat." Dicuntur illi hymni, quos Samoſatenus abrogatos eſſe voluit, ὕμνοι θεολογουντες, quibus Chriſtum ut Deum celebrare ſolebant. Auctor anonymus, quem Euſebius H. E. V. c. 28. laudat, quemque *Cajum* fuiſſe probavit H. Valeſius, provocat ad antiquiſſimum et unanimem de divinitate Chriſti fidem et addit: ψαλμοι δε ὅσοι και ᾠδαι ἀδελφων ἀπ' ἀρχης ὑπο πιστων γραφεισαι, τον λογον του Θεου τον Χριστον ὑμνουσι θεολογουντες. Hoc igitur certum, apud Antiochenos Saec. III. in uſu fuiſſe hymnos ſacros, qui capita quaedam theologiae chriſtianae exprimebant ſelecta.

Sed audiamus ipſos in re domeſtica Syros. Traditio eſt vetuſtiſſima ad hunc usque diem in Oriente conſervata, Liturgiam eccleſiae Antiochenae a *Jacobo Apoſtolo* fuiſſe inſtitutam, hancque a *Johanne Indico* (qui Concilio Nicaeno a. 325 interfuit) ad Indos fuiſſe delatam *). De eccleſia Edeſſena in vita S. *Ephraemi Edeſſeni* lingua Syriaca conſcripta apud *Aſſemanium* in Biblioth. Orient. T. I. p. 47. haec traduntur:

---

*) Cf. librum: *A Journey from Madras through countries of Myſore, Canara and Malabar.* By *Claud. Buchanan.* Edit. 2. 1812. Voll. 3., ubi prolixius de ſtatu eccleſiaſtico *Syrorum chriſtianorum in India* (in provincia Mayala, Tanjore et Travancore) agitur.

„Jam vero ſatis edoctus (Ephraem), quantum Edeſſeni muſica cantuque caperentur, illosque a profanis et inhoneſtis luſibus choreisque avocare cupiens choros Virginum inſtituit docuitque odas ſublimibus et ſpiritualibus ſententiis compactas de Chriſti nativitate, baptismo, jejunio, paſſione, reſurrectione, aſcenſione, deque reliquis myſteriis divinae illius diſpenſationis: quibus adjecit alios hymnos de Martyribus, de poenitentia, de defunctis, effecitque ut puellae foederis ad eccleſiam convenirent cunctis Domini ſolemnitatibus et Martyrum celebritatibus atque diebus dominicis. Ille vero velut pater et ſpiritus citharoedus in medio aderat docebatque modos muſicos et modulandi carminis leges, qua optima arte civium ſibi gratiam ac benevolentiam peperit et adverſariorum aciem retudit atque disſipavit." Ephraemum hymnos ſuos ſacros inprimis *Bardeſani* et ejus filio, ſive potius discipulo, *Harmonio* oppoſuiſſe narrat auctor compendii hiſtor. eccleſ. in Cod. Vatic. N. 24. ex quo Aſſemanius l. c. p. 48. fragmentum dedit: „Et quoniam Harmonius Bardeſanis filius cantica quaedam olim compoſuerat et modorum ſuavitati impietatem admiſcens, audientium animos demulcebat, et ad exitium pertrahebat, ipſe (Ephraem) modorum compoſitionem inde mutuatus, pietatem canticis permiſcuit, et ſuave ſimul et ſalutiferum medicamentum audientibus exhibuit. Atque haec cantica

festos Martyrum dies laetiores ac splendidiores etiamnum efficiunt." Cf. ibid. p. 118. Idem confirmant Sozomen. H. E. III. c. 16. et Theodor. IV. c. 29. coll. I. c. 22.

Ex his colligi potest, hosce hymnos in historia dogmatum maximi esse momenti. Nemo enim negabit, ea, quae consilio dogmatico-polemico scripta sunt, iis, quae vel enthusiasmo poetico vel studio ascetico originem debent, longe esse praeferenda. Res enim non αἰσθητικως, sed δογματικως est dijudicanda *). Non ita autem intelligenda est illa narratio, ac si Ephraem omnium primus fuerit in ecclesia Syriaca hymnorum fautor et auctor. Hoc enim pugnaret cum testimoniis ex scriptoribus eccles. supra allatis. De *Edessena* solummodo hoc narratur ecclesia. Neque a veritate abhorrere videtur, si statuas, etiam apud Edessenos, more Antiochenae ecclesiae (quae mater et caput reliquarum Syriae ecclesiarum dicitur) jam antea hymnos in usu fuisse. Hoc tamen certum, omnes injuria tem-

---

*) Rev. *Münter* in doctissimo tractatu: *Ueber die älteste christliche Poesie*, versioni Apocalypseos metricae (Edit. 2. Havniae 1806. 8) praefixo, p. 50 haec scribit: „*Aber der prosaische Ephraem konnte sich unmöglich zu poetischer Begeisterung emporschwingen.*" Quo quidem praejudicio aesthetico hymnorum Ephraemiticorum pretio dogmatico nil derogandum.

poris interiiſſe, nulloſque ad nos perveniſſe Ephraemi hymnis antiquiores. Is quidem tot hymnos ſacros compoſuit, ut jure prae caeteris Hymnologus dici poſſet. Operum hujus Patris editio ſplendidiſſima, quam *Aſſemanio* debemus, pauciſſimos tamen eorum in fine Tom. VI. p. 600 ſeqq. exhibet. Eosdem una cum aliis continet *Miſſale Syriacum*. Romae 1594 et 1716 et *Officium Syr.* Rom. 1656 (parte hiemali). Non omnes tamen, qui in Officiis Syrorum Ephraemi gerunt nomen, ab ipſo ſcripti ſunt hymni, ſed ita dicti, quia ad normam metri Ephraemici erant compoſiti. Reliquorum indicem et ſummaria una cum excerptis ſingulis locis, dedit *Aſſemanius* in Bibliotheca Orient. T. I. p. 80—139.

Hymnologiae Syriacae quoque recenſum habemus in catalogo *Ebed-Jeſu*, lingua Syriaca et hendecaſyllabis conſcripto. Cf. *Aſſeman.* Bibl. Orient. T. III. P. II. Librum Patriarchae Joſuae Bar-Nun: *de virtute hymnorum* (ܚܝܠܐ ܥܘܢܝܬܐ), quem Ebed-Jeſu l. c. p. 166 laudat, non poſſidemus, nec eſt quod de ejus argumento et conſilio judicemus.

Priusquam autem ad illuſtrationem ſingulorum dogmatum ex hymnis eccleſiae Syr. accedamus, a conſilio noſtro non alienum erit, de Hymnologia Syrorum in univerſum et de variis vocabulis, quibus carmina ſacra inſignire ſolent, quaedam praemonere.

Occurrunt praecipue tria nomina: 1) ܡܐܡܪ̈ܐ: orationes, ſermones. Comparandum hebr. אִמְרָה et chald. מַאמַר, quod de praecepto, διδασκαλια etc. dicitur. Reſpectu formae carmina ſeptem ſyllabarum aequalibus verſibus *Mimre* dicuntur. Interdum conjunguntur: ܡܐܡܪ̈ܐ ܕܡܫܘܚܬܐ i. e. orationes metricae. 2) ܡܕܪ̈ܫܐ: meditationes ſacrae, odae, hymni. Vox Syriaca reſpondet hebraicae מִדְרָשׁ et arab. مدرس, quod ſaepiſſime de carmine dicitur. 3) ܩܠ̈ܐ (cf. קוֹל): voces, toni, intonationes, cantus.

Syri porro carmina ſacra vocant: ܥܘܢܝ̈ܬܐ, carmina; reſpondet hebr. עֱנוּת Pſ. 22, 25, ubi a Chald. LXX et Vulg. per צְלוֹת et δεησις exprimitur (emendandi igitur *de Wette Commentar über die Pſalmen* p. 242. et *Geſenius* in Lexico hebr. p. 876). Etiam verbum ענה, ut arab. عني et غني ſignificat: canere et alternis cantare carminibus (reſponſoriis), ut ex Exod. XV. 21. 1 Sam. XXI. 10. aliisque locis patet. *Unjoto* inprimis ſunt Elegi.

ܬܫܒܚܬܐ (teſchbechoto): laudes, hymni. Occurrit Coloſſ. 3, 16. et Epheſ. 5, 19. Cf. hebr. שָׁבַח, laudibus extulit. Pſ. 63, 4. 117, 1.

ܣܒܠܬܐ (ſebloto), gradus, ſcalae.

ܡܙܡܘܪ̈ܐ (Masmure) et ܙܡܝܪ̈ܬܐ (Semiroto).

ψαλμοι cf. hebr. מִזְמוֹר et זִמְרָה, cantus. In locis parallelis Coloss. 3, 16 et Ephes. 5, 19. legimus: ܒܡܙܡܘܪ̈ܐ (ψαλμοις) ܘܒܬܫܒ̈ܚܬܐ (και ὑμνοις) ܘܒܙܡܝܪ̈ܬܐ ܕܪܘܚܐ (και ᾠδαις πνευματικαις).

ܒܥܘܬܐ (Bouto), precationes.

ܨܠܘܬܐ (Zeluto), preces, cf. arab. صَلَوة.

Distinguuntur etiam ܡܕܪ̈ܫܐ ܕܥܠ ܐܠܦ ܒܝܬ i. e. *compositiones super Alphabetum* s. carmina alphabetica, qualia Hebraei amant. *Ebed-Jesu* (Catalog. libr. Syr. ap. Asseman. bibl. Or. T. III. p. 63) ejusmodi carmina Ephraemo tribuit, quorum unum (de amore doctrinae a *Ger. Vossio* latine editum) superest *). Ejusmodi carmina lusus potius ingenii, quam δογματων ἀκριβειαν continere, tuto supponi potest.

Plerumque sub nomine ܡܕܪ̈ܫܐ Syri intelligunt carmina sacra, quibus dogmata aut praecepta proponuntur, mysteria expanduntur, futura depinguntur. Sed ܬܫܒ̈ܚܬܐ κατ' ἐξοχην sunt laudes Martyrum, Sanctorum, Angelorum et

*) *Abraham Ecchellensis* seductus significatione vocis ܡܕܪ̈ܫܐ alibi usitata vertit: „Appositiones Alphabeti“ et de *punctis Syrorum vocalibus* intelligit, quorum inventorem Ephraemum nostrum habet. Quem explosum vide ab *Assemanio* in Bibl. Or. T. III. p. 63. coll. T. I. p. 58. 59.

Deiparae (ܝܠܕܬ ܐܠܗܐ, quod eccleſia Syriaca etiam hymnis ſtrenue defendit contra Neſtorianum Χριστοτοκος).

His praemonitis de uſu Hymnorum eccleſiae Syriacae dogmatico-hiſtorico obſervationes quasdam adjiciamus.

Quod libri ſymbolici eccleſiae noſtrae de eccleſia in genere dicunt: „eam eſſe non tantum ſocietatem externarum rerum et rituum, ſicut aliae politiae — — — ſed tamen habere externas notas, ut agnoſci poſſit" etc. (Apolog. Aug. Conf. art. IV. p. 144) — id de quavis eccleſia particulari in ſpecie praedicari poteſt. Jam dudum obſervata a VV. DD. geographica quaedam eccleſiarum diverſitas, et variarum familiarum eccleſiaſticarum diſpenſatio. Alia enim eſt forma et conditio interna eccleſiae orientalis et occidentalis, alia porro Romanae, Carthaginienſis, Gallicanae etc. Similiter etiam Oriens varias protulit formas, ita ut variis notis atque ſignis quamlibet eccleſiarum familiam diſtinguere poſſis. Magnum deprehenditur inter Graecos et Syros pro ratione temporis, ſtatus politici, disſidiorum internorum atque externorum, praeſulum denique et doctorum discrimen. Haec ad doctrinae tropum et dogmatum mutationem multum contulerunt.

Si ſcimus, eccleſiam Syriacam modo cum Alexandrinis, modo cum Graecis ſtr. ſ. d. (Conſtantinopolitanis, Epheſinis, Caeſareenſibus etc.)

modo cum Romanis arctius fuiſſe conjunctam atque unitam, ſique controverſias et haereſes perpendimus, quibus vexati fuerunt Syri, facile dogmata praecipua a doctoribus hujus eccleſiae ventilata et exornata inveniemus.

Gnoſticorum patriam atque theatrum proprie Syriam dixeris. Ibi enim *Saturninus*, quem Menandri discipulum veteres ſcriptores perhibent, dualismum ſuum docuit, quem poſtea *Bardeſanes*, Valentini auditor, et *Harmonius* propagavit. In eccleſia Syriaca *Marcionis* et *Manetis* inveniuntur pediſequi et *Chaldaeorum* ſectatores. Contra Bardeſanem et Harmonium hymnos ſuos ſcripſit Ephraemus, ut ſupra teſtimoniis hiſtoricis firmavimus; nec deſunt veſtigia in libris, qui ejus nomen ferunt. In hymnis Ephraemiticis contra Bardeſanem, Marcionitas, et Manichaeos, quorum argumenta excerpſit *Aſſemanius* in Bibl. Or. T. I. p. 118 ſeqq. doctrina orthodoxa de Dei unitate et monarchia, de providentia, diabolo, immortalitate animarum etc. vindicatur, admixtis multis, quae ad hiſtoriam dogmatum et haereſium ſpectant. Ex his prae caeteris memoratu digna videntur, quae *de origine Manichaeismi Indica* dicuntur. Vocat Ephraem doctrinam Manetis de duobus principiis pugnantibus p. 122. ܫܘܟܪܐ ܕܡܢ ܗܢܕܘ (Schukro dmen Hendu): *errorem ex India.* Hoc certe non ita intelligendum, ac ſi Manes (ܡܐܢܝ) ex India oriundus fuerit, ſed prima

ejus haereſeos ſtamina in India (in libris Brahmanicis) eſſe quaerenda, in quo etiam Epiphanius (Haereſ. LXVI. §. 2. 3.) aliquatenus conſentit. Pariter cum *Aſſemanio* l. c. p. 122. coll. p. 127. Manetem *Babylonium* dicere nolim; nam phraſis: ܕܡܢ ܒܒܠ (dmen Bobel) *morem* potius *Babyloniorum*, quam ortum ex hac regione ſignificare videtur, ſecundum notiſſimam illam etymologiam, quae vocem בבל a בלל, miscuit, perturbavit, derivare ſolet. *Babylonius* itaque idem exprimit quod formula ſtatim adnexa: ܠܐ ܙܗܝܪ: *non prudens.*

Neſtorianismi porro atque *Eutychianismi* errores in eccleſia Syriaca multos nacti ſunt fautores atque patronos. Ipſe Neſtorius natione Syrus et Epiſcopus Antiochenus fuit. Johannes Antiochenus, Barſumas, Ibas aliique ejus amici. *Monophyſitarum* adeoque interdum res in Syria diu proſperarunt et regnarunt. Contra horum erroneas de Jeſu Chriſti perſona et ſacra coena ſententias Syri orthodoxi doctrinam ſymbolicam defendere ſumma contentione anniſi ſunt, idque decretis Synodorum, libris dogmatico-polemicis, et liturgicis effecerunt. Doctores Antiochenos in terminis technicis prae caeteris fuiſſe religioſos atque accuratos, inprimis Alexandrinis accuratiores, probare ſtudet Rev. *Münter* (de ſchola Antiochena. Hafniae 1811. §. 6. p. 22 ſeqq.).

Nil frequentius in libris Officiorum formula: Beatam Virginem non esse ܝܳܠܕܰܬ ܡܫܺܝܚܳܐ: *matrem Christi* (Χριστοτοκον), sed: ܝܳܠܕܰܬ ܐܰܠܳܗܳܐ: *matrem Dei* (Θεοτοκον, Deiparam) dicendam. Damnatur formula: „*Christum duas esse naturas duasque personas, quae in Prosopo filiationis unitae sunt.*" V. Asseman. Bibl. Or. T. II. p. 211. Ostenditur usus pariter atque abusus vocabulorum: ܐܽܘܣܺܝܰܐ (οὐσια, substantia), ܐܺܝܬܽܘܬܳܐ (essentia), ܟܝܳܢܳܐ (φυσις, natura), ܩܢܽܘܡܳܐ (ὑποστασις i. e. individuum, quod cum aliis eandem naturam habet communem. Nestorius in Christo δυο ὑποστασεις, sed ἑν προσωπον statuebat), ܦܰܪܨܽܘܦܳܐ (προσωπον, persona), ܨܰܠܡܳܐ (צֶלֶם, εἰκων), ܨܶܒܝܳܢܳܐ (voluntas), ܡܰܥܒܕܳܢܽܘܬܳܐ (operatio), ܚܰܝܠ (virtus, δυναμις), ܫܽܘܠܛܳܢܳܐ (שָׁלְטָן, potestas, dominatio). Haec autem vocabula Catholicorum atque Haereticorum esse Schibboleth omnemque fere controversiam theologicam in hisce capitibus ab eorum usu vel abusu pendere, neminem fugit. Huc quoque spectat formula illa in τρισαγιω, quae tantopere Orientem commovit, cujus auctor est Petrus ὁ γναφευς: *qui crucifixus es pro nobis.* Neque minus altera formula: ܚܰܕ ܡܶܢ ܬܠܺܝܬܳܝܽܘܬܳܐ ܩܰܕܺܝܫܬܳܐ ܐܶܬܓܰܫܰܡ ܘܚܳܫ: *Unus ex S. Tri-*

nitate incarnatus et paſſus eſt, quam *Xenajas Mabugenſis* primum introduxit *).

Etiam in cauſa *Pelagiana*, quamvis exotica, Syri ſunt audiendi. De gratia et libero arbitrio hymni Ephraemitici diſputant contra Pelagianos. Sunt tamen etiam hymni nonnulli in Officiis Syr., qui Pelagianiſmum ſapiunt. Exempla collecta videas apud Aſſeman. Bibl. Or. T. I. p. 104. 105. **) Idem valet de controverſiis

---

*) Cf. *Aſſeman.* Bibl. Or. T. II. p. 27. 36. Vulgo *Monachis quibusdam Scythicis* haec formula adſcribitur.

**) Non poſſum non quin hic apponam locum ex *Chronico Edeſſeno* n. 55. ubi legitur: „Anno ſeptingeteſimo trigeſimo nono (i. e. A. Chr. 428) emerſit Haereſis aſſerentium: *Peccatum naturae inſitum eſſe.*" Aſſemanius (Bibl. Or. T. I. p. 407) putat, particulam negationis ܕܠܐ (*nequaquam*) excidiſſe, ita ut ſenſus ſit contrarius: *Haereſis aſſerentium: peccatum nequaquam naturae inſitum eſſe.* Quo facto auctor (qui poſt annum 540 vixit) a Pelagianiſmo prorſus abhorreret et Orthodoxus fieret. Nodus Gordianus non ſolutus, ſed enſe critico reſciſſus! Meliora tamen ipſe Aſſemannius l. c. p. 403. ſuadet, ſtatum controverſiae de peccato originali inter Orientales et Occidentales innuens. Auctor Chronici hoc in cauſa aſſeclam *Theodori Mops.* (de cujus opere: *Contra Aſſerentes: peccare homines natura, non voluntate* vid. *Photii* Bibl. cod. 177 et *Noriſii* Hiſtor. Pelag.) ſe prodit. *Marius Mercator* in Commonitorio de *nonnullis*

particularibus vel inter Syros ortis vel forinſecus illatis e. gr. Audianorum, Collyridianorum, Meletianorum. Ad accuratiorem cognitionem eorum dogmatum et terminorum technicorum multum conferunt Syrorum hymni.

Cum hymni Ephraemitici omnium, quos poſſidemus, ſint antiquiſſimi et ad uſum dogmatico-hiſtoricum, ut jam ſupra monuimus, praeſtantiſſimi, liceat nobis, pro ratione hujus libelli, ex illis quaedam delibare, quae conſilio noſtro quodammodo inſervire poſſe videntur.

I. In hymno, qui latine in Ephraemi Opp. T. VI. p. 604 et in Miſſali Syr. Rom. 1716. p. 20 legitur, duplex Jeſu Chriſti ſtatus hisce deſcribitur verbis:

Syrorum loquitur, qui cum Theodoro M. faciant et doceant: Progenitores humani generis, Adam et Hevam, mortales a Deo creatos etc. Cf. Opp. ed. Baluz. p. 339. Similiter quoque *Jo. Chryſoſtomus* peccatum originis eo ſenſu, quo paulo poſt eccleſia latina accipiebat, negavit. Cf. *Horn* de ſententiis eorum patrum, quorum auctoritas ante Auguſtinum plurimum valuit de peccato originis. Goettingae 1801. 4. §. 15. Idem Theodorus negavit, mortem eſſe poenam peccati, et Adamum a Deo immortalem creatum. Cf. *Münter* de ſchola Antiochena (verſ. germ. *in Stäudlin's und Tzſchirner's Archiv für alte und neue Kirchengeſchichte 1 B. 1 St.*) p. 30.

Recordamur in oratione
Super incensum hoc suavitatum
Annunciationis tuae, Domine, et Conceptionis,
Nativitatis et Nutritionis tuae,
Baptismi et Humiliationis tuae,
Et Crucifixionis tuae pro nobis,
Mortis et Sepulturae tuae,
Excitationis et Resurrectionis tuae,
Ascensionis tuae in coelum,
Ac Sessionis tuae ad dexteram,
Et totius Dispensationis tuae,
Quam operata est apud nos voluntas tua.

In delineatione status κενωσεως, quinque gradus, ut Dogmatici loqui solent, sive quinque momenta distinguuntur, ita ut Annunciatio et Conceptio, Nativitas et Nutritio unum efficiant momentum, et sub *Humiliatione* tota Christi conditio terrestris, vita inter Judaeos etc. intelligatur, in quo etiam Theologi nostri consentiunt. Ast in status ἐνδοξου descriptione omissus est *Reditus Christi ad judicium*, qui semper a Sessione ad dexteram Dei discernitur. Praeterea silentio praetermissus *Descensus Christi ad inferos*, quem Theologi modo statui exinanitionis modo exaltationis annumerant. Notum quidem est, in vetustissimis quibusdam ecclesiae christianae symbolis de descensu ad inferos nihil legi, in aliis

autem ſepulturae mentionem omitti *); unde quidam Theologi nullum discrimen inter deſcenſum ad inferos et inter ſepulturam faciendum eſſe ſtatuerunt. Haec tamen ſententia exegeticis et hiſtoricis deſtituta eſt argumentis, neque ad locum noſtrum accommodari poteſt. Omiſſio deſcenſus ad inferos in vetuſtioribus ſymbolis inde explicanda videtur, quod hoc dogma ante haereſin Apollinariſticam nondum fuit controverſum (cf. *Walch.* Biblioth. Symbol. vet. p. 139 ſeqq.); quod tamen de tempore, quo ſcriptus eſt hymnus noſter, non valet amplius. Deeſſet etiam juſta explicandi ratio, cur itidem Reditus ad judicium (de quo cum Chiliaſtis controverſia) ſilentio ſit ſuppreſſus.

Mihi quidem verba: „*totius operationis tuae, quam operata eſt apud nos voluntas tua*", veram hujus omiſſionis cauſſam continere videntur. Hoc nimirum auctor voluit, ut cogitetur de univerſa Jeſu Chriſti hiſtoria terreſtri, de his, quae ipſe ante oculos quaſi noſtros fecit, quaeque coram hominibus a Deo ejus cauſſa facta ſunt. Habes hisce verbis epitomen hiſtoriae evangelicae, quae ab Annunciatione incipit et Seſſione ad dexteram Dei finitur. Cf. Marc. XVI,

*) Cf. *Dietelmaier* Hiſtor. dogmat. de deſcenſu Chr. ad Inf. liter. Ed. 2. 1762. §. 90. et *Pott* Excurſ. ad I Petr. 3, 19. in Epiſtol. cathol. Vol. II. pag. 301 ſeqq.

19: Ὁ μεν οὐν Κυριος — — — δεξιων του Θεου. De Descensu Christi ad inferos Evangelistae nihil habent, et Reditus ad judicium nec Marcus nec Lucas (in evangelio) memoriam injiciunt. Quae quidem explicandi ratio si minus probabilis videatur, nil superest, quam ut fateamur, haec duo momenta in historia J. Chr. sublimiori vel ex negligentia, vel ex consulto esse omissa *).

II. Nil frequentius apud Patres antiquos comparatione Christi cum Adamo, qua jam Ap. Paulus praecesserat. Sed rarius *Mariam*, Dei-

---

*) Forte non ingratum erit ex *Hymno Armenico* (Moysis Chorenensis, ut putatur) similem locum apponere:

Descendisti, Domini, et incarnatus fuisti e Virgine,
Et terrestrem naturam nostram
Liberasti a peccatis.
Adscendisti, Domine, et affixus fuisti cruci,
Mori in te recepisti
Vitam daturus mortuis.
Positus fuisti, Domine, sub noviter exciso lapide,
Et annulo (sigillo) obsignatus fuisti,
Tu, qui es thesaurus vitae mundi.
Resurrexisti, Domine, destruxisti inferos,
In coelos adscendisti
Et a dextera patris consedisti.

V. Libr. Cantionum s. Hymnor. Eccles. Armen. Armen. et latine. Amst. 1702. p. 339. Cf. *Schroederi* Thesaur. Linguae Armen. 1711. 4. p. 231.

param; et *Evam*, communem generis humani matrem, comparatam invenies, quamvis non prorſus omittitur parallelismus ille, ut ex *Iren.* adv. haereſ. Lib. V. c. 19. patet. A Syris tamen frequentius adhibetur. Ephraemus tres huic comparationi hymnos dicavit. Cf. *Aſſeman.* Bibl. Or. T. I. p. 90. Horum primus ita incipit:

ܬܪܬܝܢ ܕܟܝܳܬܐ ܬܪܬܝܢ ܦܫܝܼܛܳܬܐ
ܡܪܝܡ ܐܦ ܚܘܐ ܐܬܬܣܝܡܘ ܒܦܘܚܡܳܐ
ܚܕܐ ܥܠܬܐ ܕܡܘܬܢ ܐܚܪܬܐ ܕܚܝܝܢ

Ambae purae, ambae integrae,
Marjam et Chawo, poſitae in comparationem,
Una cauſſa mortis noſtrae, altera vitae noſtrae.

Aſſemanius l. c. verſum priorem ita vertit:

Ambae ſine noxa, ambae ſimplices,

quae tamen verſio non ſatis eſt accurata, nam vocabulum ܕܟܝܳܬܐ non eſt negative: *ſine noxa*, ſed attributum poſitivum exprimit, et vel *purae* (ut hebr. ברה e. gr. Pſalm. 24, 4. 73, 1. ubi בר־לבב per ܒܕܟܝܘܬܐ ܕܠܒܗܘܢ: in puritate cordis, redditur cf. Actor. 2, 46), vel *electae* ſc. e. profanis, vertendum. Item ܦܫܝܛܳܬܐ per: *ſimplices* non bene expreſſum. Verſio illa N. T., quae ita vocatur (Peſchito i. e. orthodoxa; ſecundum alios: ſimplex i. e. litteralis et fida) interdum ἁπλους per ܦܫܝܛܳܬܐ exprimit, ut Matth.

6, 22; ſed ibi ἁπλους ὀφθαλμος eſt idem quod ὁλοκληρος i. e. oculus integer et ſanus. Cf. porro Rom. 16, 18: καρδιας των ἀκακων, et Ebr. 1, 8. 2 Cor. 11, 3. Diſparata autem eſt comparatio, ut illa Apoſtoli inter utrumque Adamum, Rom. 5, 12 ſeqq. 1 Cor. 15, 21. 22. 45. Eva tam in ſtatu innocentiae quum in ſtatu poſt lapſum conſideratur. Luſus verborum in aprico eſt. *Chavo*, ut Geneſ. 3, 20. legitur, habet inde nomen: כִּי הִוא אֵם כָּל־חָי i. e. *mater omnium viventium*, fit propter inobedientiam *cauſſa mortis*. *Marjam* autem, quod nomen vel a מרה, مرى: rebellis fuit, vel a מרר, ܡܪܳ: acerbus fuit, derivatur) vitae fuit cauſa, dum intaminata et pura illum peperit, qui ſine peccato et omnium ܡܳܪܝܳܐ (Κυριος) fuit.

In hymno 5 de Adamo et Eva idem dicitur. Hymnus autem 23 de virgin. haec habet:

Quemadmodum ex parvulo ſinu illius (Evae) auris
Ingreſſa et infuſa eſt Mors:
Ita et per novam aurem Mariae
Ingreſſa et infuſa eſt Vita.

Formula: ܒܝܕ ܐܕܢܐ ܚܕܬܐ: *per manum* (i. e. inſtrumento, per) *auris novae* reſpicit auctor cum aurem antiquam (inobedientiae) Evae, tum locum Pſ. 40, 7. et Jeſ. 50, 4. 5., ubi פִּתַּח vel הֵעִיר אֹזֶן ſignificat: obedientem reddere. Eva mandatum Dei ſpernens inſuſurrationibus ſer-

pentis aurem praebuit: Maria contra fidem habens Deo gratiam meruit et digna facta, quae Θεανθρωπον et generis humani Σωτῆρα pareret.

Secundum *Mariolatras* evangelicum illud *Ave*, qua Archangelus b. virginem salutavit, per inversionem ductum est ab *Eva*, quia *Maria* remedia salutaria contra mala, quorum Eva caussa fuit, protulerit. Cf. Breviar. Roman. ubi legitur de Maria:

Sumens illud Ave,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace
Mutans Evae nomen.

Etiam *Cornelius a Lapide* (Commentar. in Gen. 3, 20) scribit: „*Eva* per aphaeresin est *Ve*, per anastrophen *Ave*, quam vocem ad Mariam, cujus typus fuit Eva, Gabriel detulit.“ In *Heideggeri* Histor. Patriarch. Vol. I. p. 120. haec expositio sub titulo „ineptiarum frigidarum“ recensetur. Pergit auctor: „Quid commune habet proprium nomen חוה cum *Ave;* nam nomen Eva corruptum esse et a Graecis interpretibus male redditum, quis ignorat? Deinde Angelus an b. Virginem Mariam *latine* affatus est? An illa idiomatis latini gnara? Et tamen gnara fuerit, si Angelus eam latina voce *Ave* compellavit!“ Melius forsan haec tacuisset bonus *Heideggerus*. Formula enim salutandi *Ave* s. *Have*, ut inter omnes constat, ex Oriente originem

habet et a חיה (vixit) deducitur. Notiſſima ſunt verba Meleagri carm. 125, 7. 8.:

Αλλ' εἰ μεν Συρος ἐσσι Σελομ (שָׁלוֹם)· εἰ δ' οὐν σu γε Φοινιξ

Αὐδονις· εἰ δ'Ελλην Χαιρε· το δ' αὐτο Φρασον.

Ibi Αὐδονις nihil aliud eſt, quam חָוֹה אֲדֹנִי: vive domine! Adde Plautum in Poenulo Act. V. Sc. II. v. 993: „*Havo* — ſalutat — *donni.*" V. 995—96:

Saluta hunc rurſus Punice verbis meis.
Haudoni, hic mihi tibi inquit verbis ſuis.

Cf. quae Ven. *Bellermann* obſervavit ad h. l. in libro doctiſſimo: *Verſuch einer Erklärung der puniſchen Stellen im Poenulus des Plautus. II. St.* Berol. 1807. 8. p. 12—16.

III. In hymno Ephraemi (Opp. T. VI. p. 605.) legimus hanc ſtrophen:

Panem et vinum introduxit ſacerdos in Sancta Sanctorum:
Sacramentum Corporis et vivi Sanguinis Filii Dei.
Mortem Jeſu et crucifixionem ejus ibi commemorat:
Et accedunt adveniuntque omnes Spiritus, ut ſeſe oblectent.

Quid ſint ܟܠ ܪ̈ܘܚܐ ambigitur. Poſſunt ſine dubio intelligi *Spiritus coeleſtes* ſ. *Angeli*, qui ἐπιθυμουντες παρακυψαι (ut Apoſt. Petrus Ep. I. c. I, 12 dicit) laetantur, ubi Chriſticolas ſacram

coenem celebrare vident et ſacram eorum turbam quaſi praeſentia ſua et praeſidio circumdant, ſicuti e contrario Daemones triſtitia adficiuntur et in fugam convertuntur. Cf. Auguſtin. de civ. Dei XXII. c. 8. §. 6. Sed rectius forſan ſimul de *animis piorum ante Chriſti tempora* cogitandum. Nam in antecedentibus ſermo eſt de *oblatione, quae proſit mortuis*, et in fine hymni occurrit doxologia:

Gloria Patri, qui ſuſcepit ſacrificium Abrahami juſti,
Et adoratio Filii, qui a gladio Iſaacum liberavit,
Gratiarum actio Spiritui, qui juſti Noae holocauſtum accepit:
Unum in numero trium; ipſi gloria.

Ex quo patet, auctorem ſacrum imprimis cogitaſſe de *animis Patriarcharum*, quae, cum ante ſaecula eſſent in corporibus, de Jeſu Chriſti perſona et meritis divinitus admoniti beneficia et ſacramenta novi foederis praeguſtarunt (ſi quidem de Abrahamo narratum legimus Joan. 8, 56: ἠγαλλιασατο ἱνα ἰδῃ την ἡμεραν την ἐμην, και εἰδε, και ἐχαρη), vel quae poſt fata ſuperſtites et ἐν κολπῳ του Ἀβρααμ (Luc. 16, 22. 23.) degentes etiam nunc φανερωσιν του μεγαλου Θεου ἐν σαρκι celebrant et mortem Jeſu ejusque crucifixionem commemorant.

Hujus opinionis veſtigia apud veteres occurrunt ſcriptores. *Auguſtin.* contra Fauſt. Man.

XX. c. 21. ſcribit: „Hujus ſacrificii caro et ſanguis ante adventum Chriſti per victimas ſimilitudinum promittebatur: in paſſione Chriſti per ipſam veritatem reddebatur; poſt aſcenſum Chriſti per Sacramentum memoriae celebratur.“

Objici quidem poſſet: uſum loquendi ܢܦܫܐ (animam) poſtulaſſe, cum ܪܘܚܐ vel ſpiritum, vel ventum ſignificet. Falſo; nam *Nepheſch* nihil aliud eſt quam medium ſ. copula, qua רוּחַ et עפר מן האדמה conjunguntur et cohaerent, teſte Gen. II. 7. et Cohel. XII. 7. ubi expreſſis legitur verbis: והרוח תשוב אל־אלהים אשר נתנה. Cf. 1 Reg. X. 5. Cohel. III. 19. 21. VIII. 8. Num. XVI. 22. Nec disſentiunt Arabismus et Syriasmus. Amant quidem Syri formulam: ܢܝܚ ܢܦܫܐ i. e. *anima requieſcens*, ſed hoc ſolummodo reſpectu hujus vitae ejusque aerumnarum dicitur. Anima disſolvitur, ſed ſpiritus intellectualis manet poſt mortem, et, quem in hac vita inchoaverat, in altera continuat cultum.

Hanc qualemcunque de hymnis Syrorum diſſertatiunculam cur Tibi, Pater dilectissime, conſecratam eſſe velim, non eſt quod multis exponam verbis. Dies, quem hodie celebras, eſt Tibi Tuisque, ſi quis alius, feſtus atque hymno ſacro digniſſimus. Expleviſti nuper

(d. 25 Martii h. a.) muneris ecclesiastici laudabiliter ac feliciter gesti annum quinquagesimum, et bis eo die concionando Deo O. M. pro tot beneficiis, quo totam Tuam vitam vegetamque senectutem exornavit, preces cordis devoti et gratiarum actionem obtulisti. Sed liberorum et nepotum desideriis annuens huncce diem publicae feriationi sacrum esse voluisti.

En adsunt ad Patris et Avi charissimi sacra semisaecularia omnes liberi et nepotes Tui Gothani, Jenenses, Vratislavienses! Adsunt itidem laetabundi et Soror unica adhuc superstes, et Socer, vir unicus, quem praeceptorem alterumque veneror parentem, et alia cognatorum atque amicorum chara capita. Circumdat praeterea hanc praesentem feriantium turbam invisibilis beate defunctorum chorus, qui, siquidem animae coelestes curant res terrestres, hodiernum diem videre gestiunt. Laetatur Patris Tui, nostri Avi umbra, Te, quem viginti annos fidelem in munere ecclesiastico socium et deinde successorem habuerat, etiam Jubilaei socium atque haeredem esse factum. Benedicit luci hujus diei Conjugis suavissimae, Matris nostrae post cineres desideratissimae, pia anima, et Tibi, cui ad quadragesimum fere annum felicissimi juncta fuerat matrimonii vinculo, et nobis omnibus, quos in vita charos habuit, fausta quaevis apprecatur. Circumvolant nos denique tenerae

nepotum Tuorum, filiorum praematuro et iniquo, eheu, fato nobis ereptorum imagines, Avi Jubilaeum jubila voce excipientes.

O virum felicem, quem (ut cum auctore Ep. ad Ebr. XII. 1. loquar) tale νεφος μαρτυρων circumdat! O ſenem fortunatum, cui Deus talia parat gaudia! Pauci ſunt inter mortales, qui ad Tuos vitae munerisque annos accedunt; pauciſſimi, quibus hac aetate omnibus, quibus Te adhuc exornatum videmus, corporis animique viribus uti licet; pauciſſimi denique, qui tantam ac talem, quam Tu, Deo debeant vitae felicitatem. Cuncta fere in vitae ſeptuaginta et ſeptem annorum ſpatio, fauſte et ex voto obtigerunt. Etiam dura quidem et adverſa quaedam fata Tibi fuerunt perferenda, quoniam nemo mortalium ab omni parte beatus; ſed ita pertuliſti, ut non ſolum exemplo Tuo denuo confirmaretur ſententia biblica: τοις ἀγαπωσι τον Θεον παντα συνεργει εἰς ἀγαθον, ſed ut etiam virtus Tua, patientia et fiducia in Deum juncta, probaretur et conſpicua redderetur. Pari modo in rebus ſecundis exemplo Tuo probaſti, et Deum eſſe cum ſuis nihilque valere hominem, niſi divino adjutus fuerit auxilio, et quemlibet ſuae fortunae eſſe auctorem.

Non dedecet quidem filium juſta patris laudatio, et profecto nemo candidorum atque cordatorum vitio mihi verteret, ſi ea de Te

praedicarem, quae omnes, qui Te norunt, uno animo et ore Tibi tribuere ſolent. Sed malo optimum, quod eligere poſſum, hoc eſt Tuum, ſequi exemplum, meque ad regulam illam componere, quam in enarranda Patris Tui vita Tibimetipſi praeſcripſeras *). Hoc unicum ſilentio praeterire non poſſum (nam pietas et gratitudo efflagitant), Te in paterno erga liberos atque nepotes amore ſuperari a nullo, Teque per totam vitam Tuis ita vixiſſe, ut rariſſime ejusmodi pietatis et dilectionis inveniatur exemplum. Hoc unicum fatendum, Te tenerrimum illum amorem, quo tres liberi Tui ſemper fuerunt conjuncti, a prima pueritia illis inſpiraſſe Tuoque confirmaſſe exemplo. Hoc unicum addam, me Tibi omnia debere, quae ſum habeoque. Tu eras, qui filium unicum unice dilectum non nimia (quod ſaepius ab optimis parentibus committitur peccatum) corrumperes indulgentia, ſed ſeveriori, quamvis amore temperata, regeres diſciplina. Tu eras, qui efferveſcens pueri ingenium nec infraenatum eſſe ſineres, nec immodica vi ſupprimeres. Tu denique eras, qui inſtitutione Tua primum litterarum, ſacrarum inprimis, inſpirares amorem, et ſtudia Orientalia haereditario quaſi in me transferres jure.

---

*) In libro: *Nachricht von dem Leben und Schickſalen Friedrich Albrecht Auguſti.* Gotha 1783. 8. p. 12 ſeqq.

Multa ſunt eaque praeclara, quae in vita Tua expertus es providentiae divinae documenta. Quorum quidem recenſum dare cum nil attineat, unicum ex recentiſſimo tempore commemorari liceat. Calamitatibus belli ſeptennis feliciter ſuperatis, longa nullisque turbis interrupta et patriae et Tibi fuit quies atque tranquillitas. Horrida belli tempeſtas, quae anno fatali MDCCCVI liberos Tuos Jenenſes invaſit, Te pacatosque lares Tuos reliquit intactos, et, quod pauciſſimis contigit, hoſtem Germaniae communem ne oculis quidem vidiſti. Sed anno praecedente eadem ſors, quae ante ſeptem annos filium filiamque natu minorem Jenae tetigit, etiam Tibi imminebat. Poſt proelium immortale apud Lipſiam et fugati et fugantes veluti torrens Thuringiam invadunt exercitus. Verbis exprimere non poſſum, Pater optime, quot curis, quot angoribus ego, qui intervallo ſexaginta milliariorum a Te remotus eram, et quid ſit bellum noveram, Tui cauſſa fuerim exagitatus. Quam maluiſſem iterum tot pericula et horrores ſubire, ſi modo perferendo a charo Tuo capite amovere potuiſſem! Nec ſine cauſſa fuit ille timor. Nam ſine mora truculentus ex acie miles armata manu irruit ſacrata penetralia ſenis, cuncta depraedatur atque diripit. Turma turmam inſequitur, nec dum ulla reverentia cani; pecunia et res, quae dicuntur portabiles, cito rapiuntur, jamque in eo eſt, ut

ipſum ſenis inermis ſpolietur veſtibus corpus. Aſt in iſto discrimine adeſt inopinatum auxilium. Advolant duo juvenes Boruſſorum ſigna ferentes ad praeſidium ſenis et auctoritate ſua depraedatores facile diſpellunt. Liberatur ſenex ex manibus barbaris; et ecquis liberati deſcribere poteſt gaudia, cum audit, hosce juvenes eſſe ex numero egregiorum, quos Univerſitas litterarum Viadrina Vratislavienſis, tanquam ver ſacrum, haud ita pridem ad patriae emiſerat defenſionem? Gratioſa certe Dei providentia factum eſt, ut illi amorem, quo erga me rectorem et praeceptorem tenebantur, tam praeclaro modo et facto declarare poſſent. Accedit paucos poſt dies etiam tertius ſcholae meae alumnus ſimili opitulandi flagrans fervore et valde laetatur, quod ſenem, ad cujus auxilium acceſſerat, apud Virum, revera Generoſum et inclytae *Ruthenorum* gentis ornamentum, liberaliſſimo hoſpitio videret exceptum et recreatum.

En, Pater dilectiſſime, etiam in his Dei digitum! Ex tanto ac tali periculo liberatus vidiſti, quod toties ardentiſſimis votis precibusque Tuis expetiiſti, laetiſſimum libertatis Germanicae diem, et laetiores adhuc videbis patriae ſoles. Singulari Dei beneficio morbus ille contagioſus ac peſtilentialis, qui breviſſimo tempore plus quam ducentos ex numero eorum, qui ſpirituali Tuae commiſſi ſunt curae, rapuit, Te

reliquit intactum. Deo ter O. M. debemus hujus diei exoptata gaudia, quo Semisaecularia Tua celebrantes eandem Tibi praestare possumus pietatem, qua olim in tenero aetatis flore, Te duce, Avi nostri post cineres venerandi salutavimus Jubilaeum. En, adsumus nos, et liberi, quos Deus nobis dedit, ad celebrandum diem festum, quem fecit Dominus! En, Pater pie, pio ex pectore Tibi Psalmistae acclamamus verba:

Ecce, sic benedicitur viro, timenti Jehovam!
Benedicet Tibi Jehova, ut videas bonum omnibus diebus vitae Tuae;
Ut videas filios filiorum Tuorum et pacem super Israel!
Beatus es, et bonum Tibi erit!

AUGUSTUS, E.F.A.
DE HYMNIS SYR-
ORUM SACRIS 314749